Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

bebat indicium. Quem intuens sanctus Martinus revelante sibi sancto spiritu hunc esse futurum ibi episcopum, huius eum salutavit verbis dicens: Ave noster pontifex. Dehinc illi baculum suum dedit, atque ita concito gradu in urbem properavit. In qua inveniens sanctum et vere deo dilectum presulem iam in extremis positum, et celesti iam tantum gaudio quo citius erat usurum, cum ineffabili ab eodem leticia susceptus est. Hic vere necesse est ut noster sermo deficiat, quia neminem digne constat posse refferre quam divina, quam spiritalia, quam celestia eorum fuerint colloquia, qua cum se exultatione mutuo viderint; quo mitis affectu suam ad tempus sufferre potuerint separationem. Erant enim ambo Christi militum excellentissimi duces, ambo crebris de diabolo triumphis gloriosi. Sed alteri iam reddendum erat premium sempiternum, alteri aliquamdiu differendum, et adhuc pro castris dei fuerat decertandum. Igitur beatus Liborius presente sibi consolatore tanto, suarumque exequiarum provisore, decimo kalendas Augusti die letus migravit ad dominum. Cuius venerabile corpus sanctus Martinus cum honore congruo ad ecclesiam extra urbem positam duci et in ea sepeliri fecit, quam primus eiusdem sedis antistes Iulianus nomine et in honore xii apostolorum dedicavit. Decebat enim ut qui apostolorum in terra successor et in celis esse meruit consors, in eorum quoque ecclesia communi cum illis gloria coleretur. Sequenti vero die vir dei Martinus populum omnem qui ad tanti viri exequias copiosus nimis et innumerabilis convenerat, et in tantum amorem erga pastorem suum largissimis lacrimarum fontibus gestabat, in ecclesiam conductas sancte ammonitionibus doctrine consolabatur, eisque prefatum Victurium ordinavit episcopum.

Tradunt quoque littere supramemorate multa quidem sanctum Liborium in hac vita fecisse miracula, sed multo plura postmodum ad sepulchrum eius fuisse divinitus ostensa, licet ob multitudinem sui nominatim expressa non sint. Quod nos facile credimus ex his que nostris oculis vidimus, postquam ad nos sacrum translatum est corpus eius, sicut adiuvante domino sequens huius operis textus enarrabit. Nam quia ipse vere fuit organum spiritus sancti, per ipsius nunc operationem que per veneranda pignora virtutum signa sepius ostendunt, curationes scilicet debilium, salutes languentium et expulsiones immundorum spirituum, prestante ipsius gratia qui est fons et origo bonorum omnium deus et dominus noster qui in trinitate inseparabili vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen.

Passio Foilani abbatis. A. vi kl. Aug.

Post vero excessum beati viri Fursei tempestas quam ille in spiritu viderat ultramarinis deseviebat in oris. Expulso namque christianissimo rege Anna incursu gentilium, monasterium quod ibidem construxerat monachis rebus omnibus spoliatum est. Ipse abbas Foilanus uterinus supradicti viri frater sub custodia moriturus